



1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. Jene 1652.
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* Jene 1652.
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* Jene 1655.
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* Jene 1653.
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* Helmst. 1669.

DISPUTATIO NONA

17,9

EX EPISTOLA PAVLI
AD ROMANOS, CONTINENS

ἀνάλυσις capituli Septimi.

*Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-

GIO S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-

fessore in Academia Vitebergensi publico, in collegio di-

sputationum Theologicarum privato defendet.

26. Maj horis matutinis.

M. LUCAS BACMEISTERUS
Rostochiensis.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno XCVI.

DISERTATIO

**REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, Dn. LUCÆ BACMEI-
STERO, S. S. Theologiæ Doct. Superint. Eccl. & Profess.
Acad. Rostoch. Patri suo omni observantiæ
cultu honorando.**

**MAGNIFICO, CLARISSIMO ET
CONSULTISS. VIRO, Dn. IACOBO BORDINGO,
I. V. D. Illustriss. Princ. ac Dn. Dn. Ulrici Du-
cis Megapol. &c. Cancell. & Acad.
Rostoch. Profess. a vunculo suo
observando.**

**CLARISSIMO ET EXCELLENTISS.
VIRO, Dn. IOANNI BACMEISTERO, MEDIC.
Doctori, ejusdemque in Acad. Rostoch. Pro-
fess. Fratri suo longè carissimo,**

*Exercitium hoc Theologicum debite pietatis, observantiæ
& gratitudinis ergò offert & dedicat,*

**M. LUCAS BACMEISTERUS
Rostochiensis.**

WILTBERGE
Typis C. G. Georgij Mallers
ANNO MDCCLXII

CAPUT SEPTIMUM.



Hoc capite Apostolus doctrinam de sanctificatione nostra, de qua disseruerat capite precedenti, partim ulterius declarat per liberationem ex maledictione Legis, partim addita limitatione restringit, ne quis priorem disputationem eodetorqueat, quasi Undiquaque perfecta et numeris omnibus absoluta sanctitas in hominem iustificatum cadat, quoad hanc mortalem vitam in corpore vivit: Quod negans Apostolus suo exemplo totam disputationem egregie illustrat, & sibi perpetuum cum inherente peccato bellum esse conqueritur. In initio igitur de liberatione à lege: Tum de natura & Usu Legis: Denique de sanctificationis nostrae imperfectione eiusque causis disserit.

PRIMA PARS.

Dixerat Apostolus capite precedenti, Iustos non esse sub lege, quia peccato sint mortui: Id quomodo intelligi velit, nunc explicat plenius: Mortuo inquit nulla fertur lex, sed ea in homine dominatur quoad vivit: At iustificati fide, sunt mortui lege v. 4. hoc est Legis condemnatio nihil in eos juris habet amplius: Liberi igitur sunt à lege.

Utramque præmissarum confirmat Apostolus: Propositionem quidem i. testimonio & approbatione omnium qui legem sciunt, 2. exemplo conjugij, cuius Lex non obligat nisi vivos, cum altero conjugum mortuo, vinculum matrimonij sit solutum, nec sit mulier adultera, si alteri viro nubat:

Assumptio probatur à causa, per quam mortui sumus legi, videlicet per corpus Christi, qui maledictionem Legis in se derivavit.

Declaratur assumptio à fine, propter quem legi mortui sumus, videlicet ut simus Christi & fructificemus Deo. Hæc membra ex conjugij exemplo retenta sunt: Utrumque enim in eo ceruitur, cum persona matrimonio obligata, non sit sui juris sed alterius; & principalis finis eius sit propagatio. ita in conjugio Spirituali redempti à maledictione Legis facti sumus ut fructificemus Deo.

Hoc posterius membrum regi & xpo ποσεια, plenius illustrat Apostolus, per antithesin fructus carnis et spiritus. Cum essemus in carne, hoc agitaremur instinctu nature, et carnis corruptæ impulsu sequeremur, καὶ δὴ μὰ τὰ peccatorum seu vitiosi & peccato corrupti affectus per Legis

gū vocem irritati, dominabantur in membris nostris, ut fructificarent morti, seu parerent fructus morte dignos.

Ita nunc soluti sumus Lege, mortui ei, nimirum peccato in quo detinebamur, ut serviamus in novitate Spiritus, non in vetustate literæ. Spiritum vocat donum regenerationis & renovationis per Christum collatum, quo excitamur ad obediendum Deo: Literam vocat Legem, quia non confert facultatem efficiendi id quod precipit, sed est & manet muta litera & inefficax.

Themata.

De Liberatione Christianorum à Lege.

1.

Liberatio à Lege. PRima ac præcipua Christianæ libertatis pars est, quòd iustificati fide per Christum liberati sunt à Lege: de qua Paulus inquit, Rom 6. vers. 14. Mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit: Et vers. 6. Nunc autem sumus soluti à Lege, mortui eo in quo detinebamur, Gal. 4. vers. 31. Non sumus filij ancillæ (qua denotabatur testamentum Vetus) Sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit. Gal. 3. vers. 25. Lex pædagogus noster erat in Christum, ut ex fide iustificemur: At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo 1. Tim. 1. vers. 9. Iusto non est lex posita.

2. Ex his & similibus dictis Antinomi Legem ex Ecclesia proscribendam censuerunt, cum populus Dei sit populus spontaneus, Psal. 110. nec indigeat terroribus legis ad præstandam Deo obedientiam.

3. Est omnino doctrinæ & solatij plenissimum, quòd iusti dicuntur liberi à Lege, modò rectè intelligatur. Lex enim est æterna & immutabilis Dei sapientia, patefacta divinitus in creatione, & magna autoritate repetita, obligans omnes homines ad obedientiam vel ad pœnam.

4. Ab hoc vinculo divina autoritate constricto liberari nemo potest humanis viribus aut sapientia: Quin potius aut obedientia Legi perfectè præstanda, quod ἀδυνατοῦν erat carni, aut pœna subeunda, quod miserrimum foret.

5. Quare solus Filius DEI IESVS CHRISTVS Dominus & Servator noster modum liberationis invenit, atque ipse semet legi.

legi indebitam obedientiam præstando subiecit, ut eos qui sub Lege erant redimeret. Gal. 4. vers. 5. De hac liberatione loquitur Christus Ioh. 8. vers. 37. Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.

6. Triplici itaq; nomine Christus suos à lege liberavit: *Triplicis li-
beratio à
Lege.* Pri-
mò respectu pœnæ seu maledictionis, cui subjacent omnes homi-
nes propter peccatum, eximuntur verò Credentes in Christum
Gal. 3. vers. 13. Christus nos redemit à maledicto factus pro nobis
maledictum, 1. Cor. 15. vers. 56. Stimulus mortis peccatum: Virtus
verò peccati Lex. Deo autem sit gratia, qui dedit nobis victoriam
per Dominum nostrum Iesum Christum.

7. Et hoc est quod Paulus Rom. 7. vers. 4. inquit: mortificati
estis legi, per corpus Christi, quia nimirum Christus portavit
peccata nostra in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui
iustitiæ vivamus, 1. Pet. 2. vers. 24. & Rom. 8. vers. 1. Nihil damna-
tionis est his, qui sunt in Christo Iesu, Gal. 2. vers. 19. Ego autem
per Legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, Christo confixus
sum cruci.

8. Omnem igitur maledictionem debitam totius mundi pec-
catis, Christus transtulit in se, atq; ita actionem, qua lex poterat
accusare universum genus humanum sustulit è medio, delens chi-
rographum legis nobis contrarium sanguine suo, & affigens il-
lud cruci, Col. 2. vers. 12. Atq; hic liberationis modus *liberatio
à lege est*
præcipuus, & diligenter ex doctrina Pauli eruendus.

9. Altera ratio liberationis est *liberatio
à lege est*: *liberatio
à lege est* Monstrat enim Lex non
lex viam consequendæ salutis, sed per opera, seu per obedientiam *monstrat
viam
salutis.*
propriam omnibus numeris perfectam & absolutam: Luc. 10. peccatori-
Hoc fac & vives, Gal. 3. Qui fecerit ea, vivet in eis. *buc viam*

10. Quam quidem docendi rationem Deus non idèd voluit *salutis.*
extare in Ecclesia, quasi per opera justificari & salvari queamus,
quemadmodum inventi sunt fanatici omnium temporum & ju-
stificarij, qui volentes constituere propriam justiciam, justitiæ Dei
non sunt subjecti, Rom. 10. vers. 3. & Rom. 9. vers. 31.

11. Sed ut imbecillitate nostra per legem agnita confugiamus
ad Christum mediatorem, & ab eo liberati adoptionem filiorum
acciperemus, Gal. 4. vers. 5. Erat enim legi impossibile quem-
quam mortalium justificare, Rom. 8. vers. 3. Gal. 3. vers. 21.

12. Quando itaq; lex inquit: Qui fecerit ea, vivet in eis, Gal. 3.
vers. 12. Respondet ei vox Evangelij: Qui crediderit in Christum
& ba.

Et baptizatus fuerit salvus erit, Mare. 16. vers. 16. Et Christus ipse: Qui credit in filium, habet vitam æternam, Ioh. 3. Et Paulus ex Propheta Habacuc: Iustus sua fide viver: Lex autem non est ex fide; Gal. 3. vers. 12. Rom. 1. Habac. 2.

il x. 9. q. 1. v. 1. 13. non

13. Obligat igitur Lex omnes ad obedientiam à semetipsis præstandam, & sic promittit vitam: Evangelium verò monstrat unicum Christum, qui solus perfectè legem implevit non sibi sed nobis, & hanc obedientiam offert omnibus, ac vult nos fide eam amplecti & nostram facere, atque ita fide per Christum justos & hæredes vitæ æternæ fieri.

14. Quare frustra desudant Pharisei, Monachi, adeoq. Papicolaræ universi, dum per opera, hoc est, per Legem salvari & justificari volunt: Sumus enim à Lege liberati, & Christo insiti per fidem, & per ejus obedientiam ac justiciam nobis imputatam justificamur, Gal. 3. vers. 21. & 22. Si data esset Lex quæ posset justificare, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Liberatio ab effectu legis per accidens.

15. Tertia liberationis nostræ à Lege ratio consistit in eo, quod lex docendo, arguendo & prohibendo tantum excitat pravorum affectuum motus, ut aqua calci affusa calorem evocans: In renatis quodammodo hic legis effectus cessat, qui mente condescendantur Legi Dei, Rom. 7. vers. 22.

Hinc est quod in non renatis Lex aut planè nullum habet obsequium, aut certè cum molestia aliqua conjunctum & metu poenæ extortum: In renatis verò sublato tædio, obedientia tristis ac manet imperfecta, ac proinde non justificat quemquam coram Deo: Tamen est spontanea, profecta, ex hilari ac libero corde, statuente se esse in gratia apud Deum, Psal. 110. Populus Dei spontaneus offert Deo victimas in ornatu sancto.

Leges Ceremoniales sublatae

17. Atq. quæ hætenus dicta sunt ad Legem moralem spectant: Nam quod ad ceremoniales & forenses Leges Moysi attinet, scimus eas sublatae esse, ac populum Christianum quoad speciem amplius obligare non posse, Col. 2. de qua libertatis Christianæ specie alibi in analysi hujus Epistolæ Paulinæ dicendum erit.

Do



De Conjugio, cuius in textu vers. 2.

& 3. fit mentio.

Conjugium est legitima & indissolubilis unius maris & feminae conjunctio, procreandae sobolis & vitandae scortationis causa divinitus instituta.

2. Legitima dicitur conjunctio conjugalis, ut excludatur omnis copulatio maris & feminae, quae sit extra conjugij leges, ut in adulterio & scortatione. Nec non incestus aliaque copulationum genera legibus divinis prohibita.

3. Indissolubilem esse Legem conjugij diserte docet Apostolus praesenti loco. Divortia igitur improbat ex alijs causis facta *Divortia.* quam his, quae diserte cum conjugij natura pugnant, & matrimonium evertunt.

4. Unius maris & feminae conjunctionem probat Paulus, quia dicit mulierem adulteram fore, si vivente marito cum alio viro fuerit; idem de marito intelligendum, qui & ipse adulterij crimine se polluet, si vivente uxore, cum alia muliere consueverit. Vinculum enim matrimonij non minus alligat virum uxori, quam uxorem viro. Quare Polygamia in Ecclesia ferenda non est. *Polygamia.*

5. Officium Vxoris est quod dicitur *ut ad Eph. 5. mic. vers. 24.* dicitur, *ut ad Rom. 16. 17.* subdita viro; Neque enim illi permittitur imperium in virum, 1. Tim. 2. vers. 12. Gen. 3. *Legis.*

6. Dum solutam a lege viri per mortem ejus mulierem appellat Paulus, secundas nuptias quas olim Tertullianus & Montanistae damnarunt diserte approbat, ut & 1. Cor. 7. vers. 39. Si dormierit vir, liberata est mulier: Cui vult, nubat, tantum in Domino. *Secundas nuptias.*

7. Conjugium est typus spiritualis conjunctionis Christi & Ecclesiae, qui magno mysterio invicem sunt arctissime devincti. Ep. 5. *Lex per- Spiritualis conjugium.*

8. Impie igitur Papa jactitat se Ecclesiae sponsum, cum haec gloria soli Christo debeat, 2. Cor. 11. vers. 2. Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, Matth. 20. & 25. *Lex ecc.*

9. Ineptum & frivolum est quod Tridentini Patres & Jesuitae ex annexa conjugij significatione spirituali fingunt, conjugium esse peculiare Sacramentum Novi Testamenti, *Conjugium non est sacramentum.*

Non

10. Non enim minoris fuit efficaciam conjugium in V. Testamento, quam est in Novo, habuitque eandem significationem, quia Christus fuit Sponsus Ecclesiam suam ab initio mundi.

Caret etiam promissione remissionis peccatorum, quam nec confert nec obsignat, nec fidem alit ac confirmat conjugium, Cum tamen ad hunc finem Sacramenta omnia tanquam signacula iusticie fidei colliment, Rom. 4.

Secunda Pars Capitis.

Dictum est de Legis divinae auctoritate apud credentes, quos neque condemnet, neque justificet aut vivificet, neque ad obediendum Deo vi ac metu pena cogat: Proinde non immerito queritur, quinam sit usus Legis in Ecclesia? Obicere enim poterant Pseudodoctores: Quid dicimus? Lex peccatum est? v. 7. Dum Legem subintrasse, Christianos Legi mortuos, & κατὰ νόμον peccatorum legi excitari dicis, annon Legem ipsam tanquam peccati causam ream agis? Numquid non ex Ecclesie agro evellenda & proscribenda potius, quam in eo ferenda?

Respondet Apostolus dupliciter & per Infectionem: Absit: ostendens sanctiorem esse Legis doctrinam, quam ut eiusmodi cavillis excitari debeat. 2. Per Inversionem: Lex non est peccatum, quia nihil magis repugnat peccato, quam ipsa lex.

Fines
Legis.

Subiungit vero tres fines Legis divinae, quorum primus enim κατὰ νόμον, reliqui duo κατὰ οὐρανὸν & κατὰ σκηνὴν. Primò Lex arguit, accusat & damnat peccatum. Hunc finem declarat exemplo precepti de concupiscentia, cuius malum adeo occultum esse innuit, ut nullius hominis iudicio sub peccati sensum venisset, nisi lex dixisset, Non concupisces.

Lex peccatum arguit.

Alter finis Legis est per accidens, Quod nimirum Lex precipiendo bonum in natura corrupta cupiditatem peccandi excitat: Hoc κατὰ φύσιν fieri testatur. Concupiscentia enim voce Legis non modo non est corripita, sed etiam magis irritata ad peccandum v. 8. Sine Lege enim, peccatum erat quasi mortuum, non ita agnitum neque in actum erumpens: Sed veniente mandato revixit, hoc est, capit agnosci, simulque imago operari. v. 9.

Lex peccatum irritat.

Tertius finis Legis etiam non est illi proprius ac per se: Quod nimirum uti peccatum detegit, & detectum irritat ad agendum: ita hominem peccatorem enecat, tum docendo in quantis malis hareat, propter peccatum, tum denuncianda mortem: Cum tamen Lex sua natura non ad mortem, sed ad vitam tradita sit obedientibus, vers. 10.

Lex occidit peccatum.

Pec-

Peccatum enim occasione accepta per mandatum me decepit, cum
antea blandiri mihi videretur, per legem tanquam stimulum me occidit
1. Cor. 15. Mandatum igitur sanctum justum & bonum, & Lex Dei
sancta & bona.

Illustrat hunc usum objectione: Quod bonum est, mihi factam est
mors seu causa mortis? Absit: Sed peccatum est causa mortis. Lex vero
hoc efficit, ut peccatum fiat καὶ ὑπερβολὴν ἀμαρτωλὸς ἀμαρτία, vi-
delicet quoad agnitionem & Contritionem, quam subsequitur mors &
desperatio, nisi aliunde remedia ministrentur.

Lex non
est causa
mortis sed
peccati.

De Usu Legis.

Memorabilis est aphorismus Apostoli: Peccatum non cogno-
vi Nisi per Legem.

2. Monstrat enim Usus Legis divinæ in Ecclesia, quæ non
eò lata est, ut quenquam vivificet, Gal. 3. Sed ut peccata hominum
detegat, arguat & condemnet: Quod ut intelligatur rectius, di-
versæ Legis species & peccati genera differentia, & redarguti-
onis modus dispar, consideranda veniunt.

3. Semina legis divinæ hominum naturæ divinitus implan-
tata, monstrant aliquod discrimen honestorum & turpium, &
conscientiæ stimulus accusat etiam gentes, si quid sit factum quod
non factum oportuit, teste Apostolo Rom. 1. v. 19. & 2. v. 15.

4. Ad hæc quæ ex lege naturæ fluunt cumq; ea consentiunt
Philosophorum placita & disputationes de virtute & vitio, quo-
dam modo commonstrat, quidnã inhonesti, quid honesti nomine
veniat, Et leges positivæ sapientum νομοθέτων, cum recta ratio-
ne congruentes, sunt scelerum & flagitiorum indices.

5. Habebant & Israëlitæ leges divinitus latas de externo Dei
cultu, celebratione festorum, de Sacrificijs & quæ sunt huius ge-
neris, quæ itidem redarguebant omnem tam gentium idolatricū
cultum, quam huius populi impietatem sæpius ab hac norma
exorbitantem.

Omnis vo-
m. & re-
darguit
ἀνομίαν

6. Tam quidem se diffundit hoc legis divinæ officium, quo
omnium humanarum actionum, sapientum de moribus disputa-
tionum, & honestarum legum fundamēta continentur: Et tamen
Apostolus hoc loco non de Lege naturæ, nec de ceremoniali, sed
de lege morali loquitur, quod additū ex nono & decimo præcep-
to exemplum irrefragabiliter convincit. B Quod

*Lex Dei
verè &
κατ' ἐξο-
χήν argu-
it pecca-
tum.*

1.

7. Quod si igitur tot modis cognosci peccatum poterat, quid opus erat hac de causa promulgare legem Dei? Responso ex supra dictis petenda est: Etsi enim lux in mente reliqua agnoscit ἀταξίαν aliquam in nobis eamq; redarguit: Tamen omnia peccata quæ in iudicium & conspectum Dei veniunt nō agnoscit, quod per omnia Decalogi præcepta deducere non est difficile, & declaratio quinti & sexti præcepti tradita à Christo, Matth. 5. satis ostendit: Et Paulus διαφθίδην allegato exemplo demonstrat: Concupiscentiam, inquit, non novissem esse peccatum coram Deo, nisi lex diceret: Non concupisces.

2.

8. In modo ἐλέγξως quoq; non levis est differentia: Lex naturæ docet inhonesta non congruere cum recta ratione & principijs natura notis, & postquam experientia est edocta, adjungit comminationem pœnarum comitantium enormes lapsus: Vnde colligit peccatis Deum irasci. Sed hæc omnia languida sunt & infirma, & assensio est imbecillis.

3.

9. Lex divina verò non conjecturaliter aut probabiliter, sed ἀποδεικτικῶς docet Deum verè irasci peccantibus: eisq; non tantum denunciat pœnas hujus vitæ, sed insuper æternam maledictionem: Et quia vox Dei est, non leviter tantum ferit corda, sed penetrat ad divisionem animæ & Spiritus, compagum & medullarum, instar gladij ancipitis, Heb. 4. vers. 12. ac nisi sequatur consolatio Spiritus sancti in consternatis mentibus, necesse est eas succubere in hac lucta. Hinc cernitur quomodo lex arguat peccatū.

*Sola Lex
hoc officium
admini-
strat.*

10. Tribuitur etiam hic usus Legi in textu Apostolico addita exclusiva, peccatum non cognovi NISI per Legem. Quæ ab hoc officio excludit alterum doctrinæ cœlestis genus, quo prædicatio gratiæ & misericordiæ divinæ continetur.

11. Ac potest propositio Paulina resolvi in æquipollentem: Quicquid arguit, accusat & damnat peccatum, id ad Legem Dei propriè pertinet: Vnde intelligitur, Evangelij, quatenus eo à Lege distinctum doctrinæ caput significatur, officium non esse arguere peccata: & incredulitatem quatenus peccatum est, non ab Evangelio, sed à Lege argui, etsi Evangelium declarat peculiare ejus objectum nimirum Christum.

*Lex est
causa pec-
cati &*

12. Quod ad reliquos usus Legis attinet, quòd nimirum dicitur irritamentum peccatorum in hominibus & ministerium mortis, verè illi quidem de Lege enunciatur, sed non κατ' αὐτό. Fa-

cerus.

retur enim Apostolus Legem in se esse sanctam & bonam, non potest igitur nobis causam peccandi ministrare. Quod dum fit, non Lex ipsa, sed natura nostra corrupta in causa est, perinde ut aqua calci affusa calorem latentem evocat.

13. Ita Legem esse latam non ad mortem, sed ad vitam idem fatetur Apostolus, vers. 10. Quæ dum hominem accusat de peccato, & conscientiam convictam prosternit, verè mortem operatur in nobis, non sua culpa, sed nostra, qui ab hac norma fœdè discessim⁹.

14. Postremò Antinomorum dementiam retundit Apostolus, dum legem sanctam, justam & bonam fatetur. Dum enim arguit peccatum & operatur mortem in nobis, simul tacitè de quaerendo medico monet, unde Pædagogus dicitur in Christum, Gal. 3.

15. Et quia coercet externa flagitia, & regit gubernatione locomotivæ, omninò in Ecclesia necessaria est propter hypocritas & profanos, qui semper ejus cætui externo sese immiscent.

16. Iphis etiam renatis non est liberum vagari in cultu divino, & ἐδελοτησκειαιε Deum colere, Matth. 15. sed sequenda est norma Legis, ostendens, qui cultus Deo placeant, secundum dicta: Frustra me colunt mandatis hominum: Non quod tibi rectum videtur facias, sed quæ ego præcipio tibi hoc facito sedulo: In præceptis meis ambulate, & non in præceptis patrum vestrorum.

Tertia pars capituli.

Postrema capituli pars de summa Legis perfectione differit, idq; per collationem cum natura hominis. Quæ quo esset evidentior, non cujusvis de plebe vel manifestè impij, sed suo proprio exemplo declarat, etiam renatos à legis perfectione longissimè abesse, & regenerationis donum in hac vita tale esse, quod semper aliquas peccati infirmitates in natura rea linquat.

Scimus, inquit, quod Lex spiritualis est, requirens perfectissimam congruentiam naturæ nostræ cum voluntate divina, ego verò carnalis, dum hanc Legis integritatem neq; naturæ neq; obedientiæ conformitate assequor, sed potius servio peccato, tanquam si ejus emtum sim mancipium. Interim verò constat legi sua perfectio etiam meo testimonio atq; approbatione. Etsi enim carne servio peccato; Tamen id non volo vel approbo, sed odi, & consentio legi quoniam bona est. Non enim ego quatenus renatus sum, peccatum facio, sed id quod in me habitat originale malū: ex quo fit, ut secundum beneficium renovationis velle mihi adiaceat, secundum corruptionis verò residuum malum, perficere non inveniam.

Hoc probat atq; amplificat duabus rationibus : Primò : Scio inquit, quod non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum, Quod enim nolo, hoc facio : Deplorat utrumq; malum & inhabitationem peccati, & perpetuam ejus malitiam reluctantem spiritui sancto itidem in renatis habitanti, & impediens bonum propositum.

Ne verò hæc absurda viderentur, justamq; cavillatorum reprehensionem incurrerent, distinguit Apostolus principia agendi in renatis : Secundum interiorem hominem, inquit, Condelector Legi Dei, sed video aliam legem seu conditionem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me peccato. Vbi per κατὰ ἄνοιαν Malum originale vocat Legem membrorum : Donum regenerationis Legem mentis, & interiorem hominem.

Et ne quis arbitretur renatis hæc luctam levis esse momenti, exclamatione gravissima locum hunc concludit Apostolus, qua se infelicem & miserum dicitur, hærentem in corpore mortis seu mortali, & anxie expetere liberationem ex hoc peccatorum ergastulo. In qua tamen se erigit consolatione Evangelica, qua mentione Domini nostri Iesu Christi veri liberatoris nostri se sustentat, & Deo gratias agit pro redemptionis beneficio, & obedienter se voluntati divinæ subijcit.

De perfectione Legis.

I.

Iudicium de perfectione Legis divinæ non rationis humanæ imperfecta lance, sed vocis θεοπνευστῶν æquilibrium ponderandum est. Pharisei olim opinabantur legem factu perfacilem esse, ut videre est, Matth. 19. Luc. 18. Marc. 10. in juvene Phariseo, qui se omnia legis mandata implevisse sibi que nihil deesse opinabatur.

An lex sit
possibilis.

2. Erroris fons fuit ignorantia Legis, cujus jactitabant scientiam, putabant ab ea tantum efflagitari obedientiam externam, & similem esse legibus forensibus legislatorum, qui cogitationibus & concupiscentijs hominum nullas metas præscribunt, sed ne eæ erumpant in actum & hominum societatem turbent aut offendant, cavent.

3. Hunc errorem graviter accusat & redarguit Christus, Matth. 23. & tradita vera legis explicatione corrigit, Matth. 5. ostendens

ostendens legem spiritualem esse, hoc est, requirere obedientiam internam omnibus numeris perfectam absolutissimamq; ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus perfectam, Deut. 6. Matth. 22.

4. Papistæ & Monachi concedunt requiri à Lege Dei etiam internam conformitatem mentis & virium omnium & obedientiam perfectam, sed ajunt eam in hac vita quoq; præstari posse; cum Spiritus S. per infusam gratiam gratum facientem renovet naturam nostram ad plenam integritatem, hoc est, sentiunt donum regenerationis nostræ tam esse perfectum, ut homo renatus possit in hac vita adjuvante Spiritu sancto perfectè implere legem Dei, atq; ita præstata perfecta obedientia coram Deo sit justus.

Regeneratio est imperfecta in hac vita.

5. Hic error diligenter ex scriptura confutandus est, siquidem vitiat articulum justificationis, ejusq; beneficia transfert à merito Christi ad nostra merita, ab imputatione gratuita ad inhaerentem sanctitatem.

6. Acceptamus autem pro confesso, quod etiam adversarij fateri velint nolint coguntur, eum qui bene operando justus esse cupit, perfectam obedientiam legi præstare debere. Quod si demonstratum fuerit talem homini etiam renato in hac vita esse impossibilem, per se planum erit, operibus neminem coram Deo justificari posse.

7. Habemus hoc loco Apostolum Paulum, hominem haud dubiè tam renatum in hac vita, quam qui maximè. Is de se utrumque prædicat, quod nimirum mente condelectetur legi Dei, peccatum in se hærens atq; operans non approbet, non velit: Renatum se igitur fatetur. Num verò is legem Dei perfectè implet? Si Bellarminus aut Laiolanæ farinae homuncio tanto regenerationis beneficio polleret, hui quantos triumphos ageret, quam ille se sanctum & ab omni peccati labe immunem prædicaret?

Vide laudes Francisci Xaverij Iesuitæ apud Petrum Maffejum.

8. Sed Apostolus veritatis, humilitatis & infirmitatis humanæ memor, nō tribuit sibi perfectam legis impletionem, sed sonora voce enunciat, se respectu legis carnalem esse venundatum sub peccato, vers. 14.

9. Hoc ipsum ostendunt sequentia verba textus Paulini. Si enim lex requirit integram naturæ & omnium virium conformitatem, quia spiritualis est: Et in renatis non potest talis integritas dari in hac vita. Nulla igitur legis impletio eisdè erit tribuenda.

10. Assumptio argumenti plana est ex textu: Habitat enim etiam in renatis non tantum tomes peccati, sed peccatum teste Apostolo, & non habitat in eis bonum, Peccatum illis adjacet: Est in illis Lex membrorum repugnans legi mentis, quæ captivat eos peccato: Ergo natura ipsa in renatis nondum est plenè integritati suæ restituta.

Lex membrorum.

11. Frustra Pontificij conantur teli hujus impetum declinare, fingentes Paulum non loqui de peccato propriè sic dicto, sed de peccati fomite. Declarat enim malè sana Synodus Tridentina, quod concupiscentiam quam Apostolus aliquando peccatum vocat, Ecclesia Cæcolyca nunquam intellexerit verè & propriè esse peccatum, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: Et contraria sentientem anathemate ferit.

Verba Tridentini concilij sess. 5. decret. 1.

12. Annon insane putandi sunt suis anathematis adoratores Romanæ bestię: Conferat quæso lector verba Apostoli, & disputationem totam capituli septimi cum hoc canone, & videbit evenire Patribus Tridentinis quod de Hierosolymitanis inquit Stephanus: Dura cervice & incircumcisis cordibus: Vos semper resistitis Spiritui sancto, sicut & Patres vestri. Quidnam obsecro est, verè & propriè esse peccatum? Annon res pugnans cum lege, seu ut Iohannes inquit ἀνομία.

Act. 7.

13. Fatetur Apostolus tales in se esse motus qui legi repugnent, quos secundum interiorem hominem non velit nec approbet, sed tamen peccata esse agnoscat: Peccata igitur sint necesse est. Si enim lex membrorum repugnat legi mentis, si captivat hominem peccato, si impedit, quo minus bonum propositum perficiatur, peccatum verè & propriè sit necesse est, nisi manifestè Pelagianum errorem tueri velimus, quod nihil sit peccatum nisi voluntarium, & peccatum originis nihil esse nisi vitium assuetudine contractum.

14. Suffragantur Apostolo Prophetæ & Apostoli, qui testantur peccatū esse & manere in sanctis & renatis in hac vita, & 1. Ioh. 1. vers. 8. Si dixerimus, peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas non est in nobis, Esa. 64. vers. 6. Omnes justitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatus, Esa. 6. Væ mihi quia perij, quia vit pollutus labijs ego sum, Psal. 32. Pro hac (remissione peccatorum) orabit ad te omnis sanctus, Et Christus docet orare suos, Remitte nos

In sanctis est residuum peccatum.

te nos

re nobis debita nostra, Matth. 6. Psal. 19. Delicta quis intelligit
ab occultis meis munda me.

15. Sunt ergo & manent in sanctis motus aliqui, qui verè &
propriè sunt peccata, idq; patet ex his argumentis: Primò quia in
scriptura dicuntur Peccatum, I. Ioh. 1. Psal. 32. Rom. 7. Pollutio,
Esa. 8. Psal. 19. Delicta, Matth. 6. Pannus menstruatus, Esa. 64. 2.
Quia repugnant Legi Rom. 7. vers. 23. I. Ioh. 3. vers. 4. III. Quia
captivant sanctos peccato, Rom. 7. vers. 23. IIII. Quia impediunt
in sanctis pium propositum perficiendi bonum, Rom. 7. vers. 18.
V. Quia indigent remissione, Matth. 6. Psal. 32. VI. Quia non pos-
sunt sustinere iudicium Dei, Psal. 143. VII. Quia sancti deplorant
hanc miseram conditionem in hac vita, & anxie liberationem ex
hoc corpore peccati & mortis expectant, Rom. 7. vers. 24.

16. Aut igitur Papistæ probent motus illos concupiscentiæ
esse res per se bonas, aut res esse medias, neque bonas neq; malas,
quorum utrumq; ipsis in omnem æternitatem erit impossibile,
aut fateantur esse verè & propriè peccata: Ex quo consequitur
perfectam iustitiam inhærentem in nobis in hac vita non esse que-
rendam, cum ea perpetuis peccati maculis sit deformata.

*Iustitia in-
hærens
semper est
imperfec-
ta, Ergo
non valet
corâ Deo.*

17. Frivolum est quod Papicolæ fingunt, Deum non præce-
pisse impossibilia: Etsi enim ut supra dictum, impletio Legis in
hac naturæ imbecillitate post lapsum præstari nequit: Tamen si
naturam humanam qualis in se est condita consideres, non fuit
observatio Legis ἐν τῶν ἀδυνατῶν.

18. Quare non immeritò Deus reposcit ab homine id, quod ei
utendum fruendum dedit, etiamsi id nostra culpa amissum non
ignorat: Non autem ideò reposcit debitum urgendo legem, quasi
eam existimet à nobis impleri posse aut debere, sed ut insolenti-
am nostram retundat, & nos ad imbecillitatis nostræ agnitio-
nem deducat.

19. Nec plus est ponderis in altero argnmento, quod adver-
sarij obmurmurant: Non est inquit beneficium Christi minus
Adami damno: At per Adami lapsum ira sumus peccato immer-
si, ut nihil iustitiæ in nobis reliquum sit, nec tantum imputarivè
sed etiam inhærenter injusti redditi simus: Ergo per Christi meri-
tū ita iusti constituimur, ut ab omni peccato immunes reddamur.

Respon-

20. Respondemus veram esse consequentiam argumenti secundum quid, si de consummato Christi beneficio intelligatur: Nam in peccato Adami & beneficio Christi distinctè consideranda sunt *Res acquisita & Rei applicatio*. Adamus peccatum contraxit sua culpa & id propagavit in omnem posteritatem generatione carnali. Iusticiam Christus reparavit eamq; distribuit per regenerationem spirituales in verbo & Sacramentis, ita ut in hac vita beneficii sui initium & primitias gratis donet, complementum autem eius reservet in vitam alteram & beatam. Est igitur modus diversitatis in modo distributionis, quo fit ut in nervo argumentum Pontificiorum deficiat.

De discrimine peccati Venialis & mortalis.

II.

EVieta thesi adversus Papistas, Esse & manere peccatum in renatis in hac vita, quæritur qualenam peccatum intelligamus: Cum absurdum sit sanctum hominem simul esse sceleratum, & scriptura testetur 1. Ioh. 3, v. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen eius in eo manet.

*Renati non
peccant.*

2. Quod dictum non ed est trahendum, quod renati ex Deo nunquam peccent, cum contrarium constet ex scriptura et omnium temporum historijs adeoq; ipsa experientia: & exemplis Adami, Aaronis, Davidis, Petri, Thomæ &c. Sed loquitur de rei natura secundum se considerata. Renatus enim ex Deo, quatenus renatus est, non peccat: Et si quatenus non est renatus (non est enim plenè transformatus in hac vita) sed carnalis, peccare potest.

3. Calviniani doctrinam de reliquijs peccatorum in sanctis ed trahunt, ut fingant posse etiam renatos immergi horrendis lapsibus voluntarijs contra conscientiam, adulterio, homicidio, furto &c. Et nihilominus retinere regenerationis donum, gratiam Dei, fidem & Spiritum sanctum, Ideoq; irrident distinctionem peccatorum in venialia & mortalia.

*Venialia
peccata
Papistarum* 4. Pontificij hanc distinctionem ed interpretantur, quasi quædam peccata tam sint exilia & parva, ut venia digna sint in sanctis, et expiari possint recitatione orationis Dominicæ, asperzione aquæ lustralis, visitatione templorum &c.

Vtrinq;

5. Vtrinque enormiter à media & regia via disceditur. Vt enim his primum respondeamus: Etsi peccata alia alijs majora sunt, eaq; differentia vel ex causis vel ex adjunctis & connexis oritur: Tamen in foro justificationis dicimus, peccata omnia qualiacunque ea sint, redigi in unam classem, & considerari in homine dupliciter, vel secundum Legem, vel secundum Evangelium.

6. Secundum Legem, omnia peccata sunt ἀνομία, & subjacent sententiæ, Gal. 3. Deut. 27. vers. 26. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Lege. Quare si vel minimum peccatum consideres extra Christum, quale in se est, tum debetur ei maledictio æterna ex merito. Nullum enim est peccatum, cui per se debeat venia.

7. Manet nihilominus differentia peccatorum inter se collatorum, qua alia alijs graviora sunt & graviores maledictionis pœnam experientur, dicente Christo, Matth. 11. Tolerabilius erit Tyro & Sydoni in die judicii, quam Chorazin Bethsaidæ & Capernaum, ubi audita fuerat Evangelij prædicatio & visa Christi miracula.

8. Altera consideratio peccatorum in homine fit secundum Evangelium, videlicet, quatenus homo credit in Christum mediatorem: In hoc omnia peccata sunt venialia, & nullum est tam magnum, pro quo Christus sanguine suo non satisfecerit, quodq; credenti in Christum non remittatur per solam Dei misericordiam, Psal. 130. Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus, Psal. 51. Miserere mei Deus &c. Rom. 4. Credenti in eum qui justificat impium, fides sua imputatur ad justitiam.

9. Blasphema igitur in Christi meritum est opinio, statuens gravioribus delictis ita demum dari veniam à Deo, si ea satisfactionibus quibusdam, propria intentione vel Sacrificuli mandato factis, expientur. Solus enim Christus satisfecit pro omnium hominum peccatis, & unica oblatione consummavit in sempiternum eos qui sanctificantur, Heb. 10. vers. 14.

10. Ex quo intelligitur Calvinianos explanationem doctrinæ de discrimine peccati venialis & mortalis in nostris Ecclesijs traditam, aut non intelligere, aut malitiose depravare, dum eam sub prætextu Papistici dogmatis vulgo venditant & confutant.

11. Porro quid veniale peccatum dicamus & quomodo à mortali distinguamus dix. ἑραχέωμ persequemur ex textu Apostolico.

nico. Præcedenti capite sexto gravissima exhortatione contestatus est Apostolus renatos, dent operam, ne regnet peccatum in mortali ipsorum corpore. Hoc capite conqueritur esse in se & in omnibus renatis peccatum: In hisce dictis *ἐν ἑαυτοῖς* aliqua species videtur esse.

*In renatis
non est
peccatum
Regnans.*

12. Sed discrimen facit notatio peccati *Regnantis*, quæ innuit, non tantum ipsos concupiscentiæ motus in renatis & *ἀταξίαν* illam hærentem in natura, sed peccati imperium & dominium, quomens & voluntas hominis renati, motibus pravis concupiscentiæ delectantur, consentiunt & obediunt, eosq; in se regnare patiuntur: atq; ita non sequuntur Spiritus S. ductum, sed carnis, eique obediunt.

13. Exemplis res erit illustrior: Innata est nobis omnibus ignorantia veri Dei, & connata tenebræ in rebus spiritualibus, eas luce sua cœlesti incipit in nobis discutere Spiritus S. Sed tamen semper aliquid hæret in natura corrupta quoad vivimus in hac mortali vita. Ex his tenebris oriuntur dubitationes de Deo, ejus gratia, defensione & auxilio.

*Differunt
infirmi-
tates & pec-
cata re-
gnantia.*

14. Hæc peccata sancti in se agnoscunt & deplorant eisq; resistunt. Et cum hoc fit, fiunt venialia, hoc est, remissa per Christum non imputantur, nec excutiunt gratiam Dei, fidem & Spiritum sanctum. Remittuntur autem non quasi sint tam exilia peccata & venia digna, sed fide per Christum gratis perinde ut reliqui graves lapsus. Unde sancti petunt etiam occultorum veniam, Psal. 19, quæ agnoscunt in genere, etsi determinatè in hypothesi ea singula non considerant. Dicuntur etiam occulta, quia sunt tecta veste Christi, Psal. 32.

15. Si verò sancti indulgerent hisce affectibus, dubitationibus de Deo, ignorantia affectata, & similibus naturæ vicijis, tum ex infirmitatibus fiunt peccata contra conscientiam, & sequitur Epicureismus, excutiens gratiam Dei, fidem & Spiritum S. Neq; enim esse potest fides cum mala conscientia aut proposito peccandi, 1. Timoth. 1.

16. Docemus itaq; horrendam esse blasphemiam, quando Calviniani affirmant, adulteros & homicidas in ipso peccati actu voluntario retinere fidem & regenerationis donum, tanquam cineribus relictum. Qui enim tales sunt, non ducuntur à Spiritu Dei, sed à Spiritu tenebrarum, cum quo nulla est communio Spiritui Sancto. Ita

17. Ita distinguit scriptura, Rom. 7. peccata regnantia & non regnantia, Psal. 19. Peccata occulta, & commissa per superbiam, seu inobedientiam contumacem. Et Num. 15. vers. 30. Distinguntur sacrificia pro peccato commisso per errorem & ignorantiam, à peccatis per superbiam & contumaciam, & Iacob. 1. distinguuntur diserte hi motus, qui dum concupiscentia primò tentat hominem: Postea concipit, Tum parit peccatum, tandem peccatum operatur mortem.

18. Summa itaq; huc redit, quamdiu manet in homine penitentiae studium & fides, repugnans suggestionibus concupiscentiae, tantisper peccatorum motus voluntarij non sunt & reguntur à Deo, neq; imputantur renatis: Vbi verò excussa penitentia amittitur fides per peccata contra conscientiam commissa, tum peccata sunt regnantia, quæ excutiunt gratiam Dei & Spiritum sanctum, & hominem in aeternae damnationis barathrum præcipitant. Verè enim dixit Lutherus: Discrimen peccati mortalis & venialis non sumitur à substantia peccati, sed à persona agentis. *Sup. 5. ca. put ad Galat.*

Posse autem peccatis contra conscientiam amitti gratiam Dei & fidem, *σὺν τῷ* in ἀναλύσει sequentium capitum Epistolæ hujus evidentissimis rationibus convincemus.

Porismata.

I.

Peccatum in renatis habitat, illisq; adjacet: Non est igitur ipsa hominum substantia.

2. Si Sancti habent peccatum adhærens, bonis operibus tamquam imperfectis mereri gratiam Dei non possunt.

3. Etsi sancti carnales sunt: Tamen secundum carnem non vivunt.

4. Licet exoptare felicem ex hac vita migrationem, sed ita ut voluntati divinæ nos submittamus.

F I N I S.

... et distinctio scriptura Rom. 7 peccata regnantia & non
regnantia. Et sic peccata peccata & commissa per scripturas
sunt nobiscum continentem. Et nota sunt. Et distinctio
sunt scriptura pro peccato commissa per ignorantiam
sunt peccata per scripturas & continentiam & facta. Et distinctio
quod dicitur in notis quod dicitur per scripturas
nomine. Et sic peccata sunt peccata. Tamen peccata peccata
sunt operantur mortem.
Summa itaque: huc redit, quod dicitur in nomine peccati
sunt scriptura & facta, repugnantia suggestionibus concupiscenti-
as, tamen peccatorum non voluntati non sunt & regnantia
a Deo, non impunitur tenent. Vbi vero excelsa peccata
natura sunt per peccata contra conscientiam commissa, tamen
peccata sunt regnantia, per excusant gratiam Dei & spiritum
sanctum, & hominem in aeterna damnatione paratum praeci-
piunt. Et sic dicitur. Et sic dicitur. Peccata mortalia
& venialia non sunt in substantia peccata, sed a personis agentibus.
Peccata sunt peccata contra conscientiam animi gratiam
Dei & spiritum sanctum in aeterna damnatione paratum. Epistolae
sunt evidenter rationibus convincimus.

sup. 2. ca.
p. 1. ad
Galat.

Postquam

Deum in rebus habet illud, dicitur: Non est igitur ipse
hominum substantia.
1. Si sancti habent peccatum adhaerens, bonis operibus tam-
quam inoffensa meriti gratiam Dei non possunt.
2. Et sancti carnales sunt; Tamen secundum carnem non
vivunt.
3. Licet ex opere felicitatem ex hac vita migrationem, sed ita ut
voluntati divinae nos submittamus.

FINIS



AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







17,9

DISPUTATIO NONA

EX EPISTOLA PAVLI
AD ROMANOS, CONTINENS

ἀνάλωσις capitū Septimi.

*Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-

GIO S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-

fessore in Academia Vitebergensi publico, in collegio di-

sputationum Theologicarum privato defendet

26. Maj horis matutinis.

M. LUCAS BACMEISTERUS

Rostochiensis.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno XCVI.